

4. Praecipio igitur tibi, quanta continentia potes, post excessum nostrum renunties nuptiis, nihil mihi isto nomine collatura, nisi quod tibi proderis. Ceterum Christianis saeculo digressis nulla restitutio nuptiarum
20 in diem resurrectionis repromittitur, translatis scilicet in angelicam qualitatem et sanctitatem. Proinde sollicitudo nulla, quae de carnis zelo uenit.

5. Etiam illa, quam septem fratribus per successionem nupsisse uoluerunt, neminem tot maritorum
25 resurrectionis die offendet, nec quisquam illam confusus expectat. Quaestio Sadducaeorum cessit sententiae Domini^b.

6. Ne me putes propter carnis tuae integritatem mihi reseruandam de contumeliae dolore suspectum
30 insinuare iam hinc tibi consilium uiduitatis. Nihil tunc inter nos dedecoris uoluptuosi resumetur. Non enim tam friuola, tam spurca Deus suis pollicetur. Sed an tibi uel cuicumque alii feminae ad Deum pertinenti proficiat quod suademus, licet retractare.

II, 1. Non quidem abnuimus coniunctionem uiri et feminae, benedictam a Deo^a ut seminarium gene-